



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Patrocinium Defunctorum

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

Caput Secundum. De loco Purgatorii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

aliis avertendi ipso primo conspectus momento erumperet! Exfuscitanda igitur illa Fides, ut si fieri possit, non impares curas in nobis creet, maxime cum tormenta longè graviora sint, quàm quæcumque oculis usurpari queunt, ino & mente in hac mortali vitâ percipi. Ergo rectissime innocens ille Jobus c. 9. *Verebar, inquit, omnia opera mea, sciens, quod non parceres*

delinquenti, & nos quoque multarum jam rei noxarum eodem animos metu adversus nova crimina confirmemus: & si Christianum pectus gerimus, purgandarum animarum vel nunc misereamur. Etenim nosse amici gravem miseriam, plusquam fatis est ad misericordiam: quantum igitur erit fide divina eam compertam habere!

CAPUT SECUNDUM.

De loco Purgatorii.

PROOEMIUM.

23.
Multiplex
Purgatorii
locus pro-
ponitur.



PURGATORIO asserto, indagamus nunc illius locum, ut & dictis Fides eò certius habeatur, quò magis compertus erit etiam Purgatorii locus, & ex sitis infamiâ, mol estiaque, carceris hujus acerbitas pronius deinceps expendatur. Est autem Doctori Angelico, aliisque communiter Theologis Purgatorii locus duplex: Alter ordinarius, alter extraordinarius. His addit Bellarminus, aliique terriam aliquam sedem, in qua animæ quædam corpore solutæ, coelique adhuc exortes, immunes ab omni sensûs pœnâ degant. Nonnulli Purgatorium Sancti Patricii adstruunt, in quo etiam vivi torqueantur. Hæc igitur hujus Capituli materia, atque hic ordo mihi ad scribendum propositus est, & cuique loco suus articulus destinatus. Comitare nos, mi Lector, scire expedit voraginis ærumnosæ locum, ut eam vites facilius.

ARTICULUS I.

De ordinario Purgatorii loco.

§. I.

Est aliquis subtus terram.

24.
Statuitur
aliquis cer-
tus ordina-
rius.

EST quidem in Judicis, ac supremi potissimum Principis arbitrato, locum definire, ubi rei plectantur. Et confert identidem ad cæterorum exemplum, ac terrorem, si supplicii locus idem sit, qui criminis, quo maxime pacto locus ipse pars est supplicii. Veruntamen, ut solemnis ac status est apud mortales tum carcer, tum crux ac campus feralis, propter varias

utilitates; sic providentiæ Numinis cuncta cum pondere, numero ac mensurâ facientis congruebat, ut castigandis post hanc vitam reis certum locum designaret, scilicet capiendis supplicii instrumentis, & cruciatui exercendo idoneum. Hunc porro designasse videtur ipsa veritas Matthæi 5. ubi sic monet: *Esto consentiens adversario tuo, dum es in via cum eo; ne forte tradat te adversarius Iudici, & Iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Ecquis enim ille carcer? Certè quidem, Purgatorium omnes intelligunt, & meritò. Ut enim D. Bernardinus Tom. 2. Ser. 62. *Hoc quidem de carcere huius mundi non potest intelligi, eò quod nec ibi ponuntur omnes tales: nec de carcere infernali, quia ibi numquam solvitur novissimus quadrans debita pœnæ; sed de carcere Purgatorii intelligi habet, quia ab illo exibat quis, quando solverit novissimum quadrantem.* Sic ipse. Est igitur certus ac definitus carcer, in quo post hanc vitam attinentur, qui purgandi sunt: nec enim necesse est, aut semper expedit, aut etiam fas est, ut quod sentit Hugo Victorinus apud Sanctum Thomam in 4. dist. 24. q. 1. art. 1. illic de more plectatur à Deo reus, ubi peccavit, partim quòd diversissimis locis peccavit, in quæ reas animas differri, aut discurrere haud est probabile, partim quòd dum uno in loco unius criminis pœnas darent, non darent alterius, unde longissima existeret mora Purgatorii: partim denique quòd si qua ratio id evinceret pro piis manibus, pari jure pro damnatis evinceret: quod vel opinari nefas est: quando igitur id contingit, præter morem legemque Dei ordinariam, ut brevi asseremus, contingere dicendum est.

Porro

25.
Subterra-
neus.

Porro locus ille purgandis animis destinatus non est in cœlo statuendus: est enim sedes Beatorum: nec in aère, quia reis quidem locus humilior, carceri autem tenebrosus convenit: neque verò in Orbe terrarum, quòd viatoribus, militantibusque proprius sit: igitur sub terram retruendus est, & hæc est Sancti Thomæ, omniumque hujus temporis Theologorum communiùs sententia, imo totius Ecclesiæ sensus. Hæc enim in Defunctorum officio ita precatur: *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu*; quem infernum non damnatorum, sed purgandorum intelligit; lacum autem illum insinuat, de quo Zacharias Vates cap. 9. dum sic Christum compellat: *Tu autem in sanguine testamenti eduxisti viultos tuos de lacu, in quo non est aqua*; quem lacum Bellarminus congruentius pro Purgatorio, quàm pro Limbo Patrum accipi censer; partim quòd animæ purgandæ rectius, quàm Patres, vincti dicantur (nec enim hi rei, nec Limbus carcer) partim quòd in Limbo nonnulla erat aqua, nimirum solatii, cujus illa symbolum est, nulla verò est in Purgatorio. Cæterum alia quoque, sunt sacrorum Codicum loca eundem subterraneum situm confirmantia. Qualis hic Apocalypseo cap. 5. *Nemo inventus est dignus aperire librum, neque in cœlo, neque in terra, neque subius terram*. Nec enim damnatis, cum omnino execrandi sint, *digni* nomen competit, neque hic de Patribus Limbi sermo est, cum jam cœlo recepti essent, quando hæc scripta sunt, igitur de Justis sub terra degentibus, atque adeo de piis manibus agi sat comperitum est. Missa facio alia, missas historias, ac visa Sanctorum fide dignissima quibus idem ostenditur: & nunc quis Purgatorii situs sit, declaro.

§. 2.

*Est orco vicinus, non tamen
continuus.*

26.
Orco vici-
nus.

QUATUOR sub terra animarum receptacula esse, omnes Theologi consentiunt, at de singulorum inter se ordine non parum contendunt. Etsi enim plerique omnes orcum infimo, Limbum Patrum supremo loco constituent; quidam tamen Limbum puerorum Purgatorio subdunt, alii contra. Multi autem loca hæc sic inter se componunt, ut supremus cætera includat, & sic deinceps superius inferum, velut in tunicis allii, aut or-

bibus cœlestibus. Ut certi aliquid statuat, displicet mihi primum, ut & Suario, hæc circularis inclusio, sive quòd gratis adstruatur, sive quòd incongruè. Quippe ea posita ante Christi quidem adventum per Limbum Patrum, perque reliqua receptacula, post illum verò per Limbum puerorum, ac per Purgatorium damnatos omnes à dæmonibus prætervehi oporteret: unde & puerorum nihil tale commeritorum requies turbaretur, & Purgatorium terribis istis vectoribus, infaustissimis sarcinis semper refertum esset. Itaque assignandi videntur diversi circa centrum terræ sinus, sese mutuo excludentes, quorum infimus ipsum centrum proxime ambiat, & damnatos excipiat, cæteri seorsum diversas mundi plagas respiciant. Ita tamen ut ab orco remotissimus sit Abraham sinus, ut magnum illud chaos, de quo Epuloni Abraham, inter utrumque diffundatur. Cui sinui propter miseriam similitudinem vicinus sit puerorum Limbus, propius tamen abist ab orco ob originis noxam, quam purgaverant Patres. Tum parte alia ad tartarum accedat Purgatorium, propter pœnæ utriusque loci affinitatem.

At lis esse potest, an sit tartaro contiguus, an verò continuus. Ac Doctor ^{27.} *Non conti-* quidem Angelicus ita vult esse continuum, ^{nuus.} ut Purgatorium in superiori tartari parte locet. Et revelationes quædam illud hujus velut ripam esse significant. Alii, ut Suarez, velut os inferni putei describunt, nulla scilicet terræ mole interjecta. Verum, quia hic sunt liberæ cogitationes, salvâ tantorum virorum autoritate, opinor nihil commercii purgandis animis esse cum damnatis, & ne locum quidem utriusque communem tribuo. Quid enim opus? An quia idem utraque perurit ignis? esto illud, de quo post videbimus: attamen potuit ignis naturâ, & essentiâ idem utrobique creari à Deo: neque revelationes illæ quidquam convincunt, tum quia iis alias opponere licet, ut Christina Mirabilis, non uno, sed binis carceribus lustrandas & damnatas animas conspiciat: tum quia (ut in simili Suarez de Purgatorio, Sect. 2.) *in visionibus ostenditur subinde aliquid in aliquo loco propter aliquam significationem, vel occasionem: non quia in tali loco illud opus fiat*. Igitur ideo Purgatorium velut orci ripam superi ostendere, ut viciniam indicarent, non continuitatem. Quis enim hæc congruat? Nam pii manes, dæmonum victores sunt, impii autem subacta turpiter eorum mancipia: illi Numini carissimi, hi cum dæmonibus

nibus pariter invisi: illi Deo, vel in acerbissimis suppliciis, ex animo grates agunt, laudes concinunt, summa voluntatum consensione semper adherent; hi contra perpetuis diris ac maledictis eum insectantur: cur ergo reis in tanto conditio- num, noxarum, ac voluntatum discrimine idem tribuitur poenae locus, idemque car- cer? An ad poenam exaggerandam? at fa- cillis alia ejus gravitatis ratio, eaque con- gruentior. An ut pii manes daemouum carnificinae sint magis expositi? At Sua- rius ipse cum D. Thoma, & aliis, censet ab iis minimè torqueri: de quo, & nos post- modum disputabimus. Concludendum itaque inter carceres lustralem, & infer- num, aliquam terrae molem interjici, qua omne commercium excludatur.

28. *Ejus à no- bus distan- tia.* Ceterum nec ingratum, nec inutile fue- rit, deinceps metiri carceris hujus lustralis profunditatem. Pono igitur ex Tichone Brahe terrarum ambitum circiter novem leucarum Belgicarum (sive unius horae millia complecti, atque adeo illius diame- tro tria circiter millia contineri. Pono deinde avernum terrae centrum occupare, ut quemadmodum palatia Caelitum, ac Dei amicorum excelsissimo loco; sic im- piorum ac daemouum mancipiorum ergastula profundissimo, vilissimoque sita sint. Sta- tuo praeterea cum Lessio lib. 13. de Perfect. divin. c. 24. avernaletm carcerem sic am- bire centrum terrae, ut utriusque idem cen- trum sit.

29. *Orci mag- nitudo.* Porro cavitatem orci Lessius quidem ad unicam leucam, seu ad quatuor circiter miliaria Italica dumtaxat extendit. Quip- pe quod damnati tamquam aridae haleces in orcâ, vel ut sicca ligna velut in fascem collecti sint: quo situ plusquam octingenta millia millionum corporum avernus cape- re possit: cum tamen subductione inita constet, damnatorum numerum centies mille milliones non excessurum. Ita ipse, quamvis postea habita stagni sulphurei, demonumque ignitis corporibus post ju- dicium includendorum ratione, concavae superficiei telluris orcum ambientis, sex leucas, atque adeo diametro illius duas concedat. At Ribera, & post eum Cor- nelius in Apocal. cap. 14. Avernum tam in longum, quam in latum & profundum, ad mille sexcenta stadia, id est, ad quin- quaginta leucas porrigunt: quot scilicet Apocalypsis tribuit lacui irae Dei, quem avernaletm esse contendunt, voluntque damnatos & plures fore, & quaquaversum per ignem raptandos, & volutandos, & variis catastis, ac velut equuleis disponen- dos. Quamobrem cum expiatorius car-

cer ab avernali haud multum distet, & concessis ambitui terrae novem leucarum millibus, ejus diametro tria millia debita sint, ac proinde spatio ad usque centrum terrae, mille & quingentae; consequitur à terrae superficie ad Purgatorium telluris spissitudinem mille leucarum intervallo esse majorem: quanta autem sit praecise, haud posse definiri. Quis det ut eam numquam metiri, atque experientia ipsa magnitudinem ejus scire nobis contingat!

ARTICULUS II.

De locis Purgatorii extraor- dinariis.

ESSE aliqua cum S. Thoma consen- tiunt plerique omnes Theologi, & ra- tionem affert Angelicus Doctor, quod hoc expediat identidem ad vivorum in- structionem, vel ad mortuorum, ut lo- quitur, *subventionem*, ut viventibus eorum poena innotescens per suffragia Ecclesiae mitigetur. vide illum in 4. distinct. 24. q. 1. art. 1. Neque verò hac de re nos ambigere sinunt historiae, visionesque plurimae, qui- bus omnibus fidem abrogare, praesertim cum à dignissimis Fidei autoribus refe- rantur, impudentis, parumque Christiani hominis est.

Neque tamen inficias eam non paucas sic exponi posse, ut non ipsae animae pur- gandae, sed earum loco ac nomine, habi- tuque Genius aliquis bonus viventibus, aut appareat, aut loquatur, ipsis interea com- muni carcere detentis. Quo quidem pacto non magis proloquitur falsum, quam cum Dei nomine, quem referebat, Israelitico populo diceret: *Ego sum Deus Abraham: ego percutiam, & ego sanabo*, & hujusmodi. Constat enim Angelos hoc in munere atque officio caritatis, animarum gerere personam, ut in legationibus ad Judaicam gentem, personam gerebant Numinis. Neque veram animae praesentiam necessa- riò indicant nonnulla narrationis adjuncta, quae supplicii locum designant, ut si cui vi- dendum se praebet, hic, aut istic se cruciari commemoret. Ut enim rectè Suarius hic, aut istic, in silva, in monte, hac in domo, & similia nonnumquam idem valent, ac si diceretur, in loco expiatorio, qui per hunc aut istum representatur. Qua ratione interpretandi utendum utique est, dum damnatos quospiam certis terrae locis, ve- lut earum supplicio destinatis, torqueri asseritur. Constat enim unicum crebi carcerem eorum carnificinae assignatum, quamvis

quamvis negandum minimè sit damnatorum aliquos subinde ex orco, quo relegati erant, à dæmonibus reuictos, tantisper in terra ad cæterorum exemplum hæsisse. Id quod Bellarminus evenisse autumat Parisiensi illi Doctori, qui, ut refertur in vitâ S. Brunonis, dum ei parentaretur, primo die pronunciavit è sandapila, sese accusatum, altero iudicatum, tertio condemnatum esse, cum tamen forum illud divinum statim à morte peractum, ipseque jam tum ultricibus erebi flammis correptus fuisset.

32. Porro ut ad nonnulla Purgatorii extraordinaria loca veniamus, celebris ille est, qui statæ per annum piorum manium commemorationi occasionem præbuisse fertur. Historiam narrat Petrus Damiani in vitâ S. Odilonis: unde ni fallor, hausere cæteri; cuius ipsa verba produco. Religiosus quidam vir, oriundus de pago Rotenensi, revertebatur ab Hierosolymis, qui dum mare transfret, quo à Sicilia versus Thesalonicam per plurima fluctuum periculosa loca protenditur, cumque cum multis aliis furentium ventorum horror impelleret, applicuerunt ad insulam, quamdam sive rupem, ubi Sanctus quidam servus Dei manebat inclusus. Rotenensis itaque vir illic aliquamdiu commorans, & tranquillitatem sedandi maris expectans, delectabatur cum servo Dei frequenter habere colloquium: sed dum hinc nonnulla dicuntur, illinc plurima referuntur, perquisitus hospes à viro, unde genus duceret originaliter: Aquitanum se esse respondit: Requisitus insuper, utrum Cœnobium illud, quod dicitur Cluniacum, & Odilonem ejusdem loci nosset Abbatem: quod quærebat, se nosse perhibuit. Sciscitatur homo, cur Dei servus ab eo requiratur. Sunt, inquit, vicina nobis loca, ex quibus gravissima flammarum furentium,volvuntur incendia, in quibus etiam locis animæ reproborum diversa luunt, pro meritum qualitate tormenta. Ad quorum exaggeranda supplicia, innumerabiles sunt dæmones deputati, qui intolerabiles eorum pœnas quotidie renovant, & eos ad rediviva supplicia indefinenter instaurant. Quos tamen ego frequenter audivi querulis lamentationibus ejulantes, & lacryabili vociferatione desolantes, quod orationibus, & eleëmofynis quorundam adversus eos infederabiliter concertantium frequenter ex eorum manibus eriperentur animæ damnatorum. Inter cætera de Cluniacensium cætu permaximam, & eorum Abbate querimoniam faciunt, quia quam sæpè per eos sui juris vernaculos per-

Ad rupem
quamdam
juxta mare
Siculum.

dunt. Quamobrem terribile Dei nomen obtestor, ut sanctis fratribus illic hæc, quæ tibi dixi, fideliter referas, & ex nostra quoque illis parte denunties, ut eleëmofynis, ac orationibus magis ac magis instent, ac præsertim hujus intuitu, ut de manibus dæmonum eos, qui ab iis cruciantur, educant, quatenus de quotidianis eorum rapinis, & luctus inferatur generis humani inimico, & gaudium multiplicetur in cælo. Aliquanto post homo regressus in patriam, quidquid ex viri Dei revelatione didicerat, Beato Patri, & sanctæ Congregationi fideliter narrat. Tunc Venerabilis Pater Odilo per omnia monasteria sua constituit generale decretum, ut sicut primo die Novembris juxta universalis Ecclesiæ regulam omnium Sanctorum solemnitas agitur, ita sequenti die in Palmis, & eleëmofynis, & præcipuè Misærum solemnibus omnium in Christo quiescentium memoria celebretur.

Hactenus Cardinalis Damiani, ubi mirabitur mecum haud dubiè non nemo, quod reprobos vocet, & damnatos, itemque postea dæmonum vernaculos, seu mancipia, qui ex istis incendiis eripiuntur. Nam piis manibus certè quidem nihil horum competit. Et quamvis damnati ad tempus dici possunt (quomodo intelligendus Augustinus in Enchiridio, ubi eos damnatos nuncupat) tamen reproborum nomen, ac dæmonis mancipiorum omnino ab eis avertit Theologia. Unde per mirum est Cardinalem Baronium in suis ad Martyrologium Romanum notis 2. Novemb. ubi hanc historiam laudat, nec non alios, qui in sua vitæ SS. editione obscuriora loca interdum illustant, omnino hîc tacere. Quid igitur dicendum? nempe historiam illam Eremitæ istius, aut Monachi Rotenensis inscitâ sic narratam, & prout jacebat, à Damiano aliter accipiente relatam, & recto sensu ab Odilone intellectam esse. Nisi fortè velis Damianum minus propriè locutum: quæ posterior sententia similior vero est, confirmaturque ex eo, quod per occasionem hujusmodi narrationis Odilo, omnium, ut scribit Damianus, in Christo quiescentium, memoriam instituerit, ubi quod de reprobis dictum est, apertè corrigitur.

34. Alius Purgatorii locus pluribus communis, ad Pisas Italiæ civitatem, situs fuisse videtur ex actis S. Nicolai Tolentinatis. Is cum Sacerdotio initiatus fuisset, ad Eremum Vallimensem à Provinciali transmissus, singulari cum religione Sacris quotidie operabatur. Sensere id è lustralibus flammis fideles animæ, & veniâ cœlitus factâ

33. Discutitur
hæc histo-
ria.

34. Alter locus
ad Pisas.

Patrocinium Defunctorum. *Lib. I.* 11

facta sub noctem diei Dominicæ, qua die hebdomadariū, ut vocant, agebat, & Sacrum facturus erat, dum vir sanctus tantisper somnum caperet, quædam anima contentâ voce, multoque ejulatu, sic eum compellat: Frater Nicolae, vir Dei, huc, quæso, oculos. Ille per somnum in eam intuens, neque satis agnoscens, quem vivum se nosse meminerat, pernosse studebat; quod cum assequi non posset, quinquam esset, percunctatus est. Subjecit illa, animam se esse Peregrini Auxinensis ipsi noti, dum in vivis ageret, & jam expiatoriis ignibus cruciari. Quare rogare se illum impensius, ut Missam defunctorum faciat suo nominatim, atque aliorum levamento. Tum verò candidè illi Nicolaus: *Fuvel te, inquit, Salvator meus: Ego enim, qui ad summum Sacrum solemniter faciendum destinatus sum (hac præsertim Dominica luce, quando officium mutare nefas) Missam pro defunctis facere non possum.* At anima, *Veni, reposuit, Venerande Pater, & vide, num par sis tantæ, tamque miseræ multitudinis, à qua missus sum, preces repellere, meque pariter miseram tam inhumaniter deservire.* Visus sibi est sequi ducem vir sanctus ad alteram Eremi partem: ubi in modicâ planitie ad Pisas urbem, haud procul Eremo sitâ, animadvertit ingentem numerum animarum ita se obsecrantium, Miserere Pater, miserere turbæ auxilium tuum expectantis: nam si pro nobis Deo litare sacrificia dignatus fueris, maxima pars nostrum ex his atrocissimis tormentis eripietur. Sub hæc expergefactus Nicolaus, & vehementi commiseratione permotus, multis cum lacrymis pro omnibus illis Redemptorem hominum precatus, indeque primo manè ad pedes Prioris prostratus, non rem uti viderat, totam, quod jaçantiam fugeret, sed importunas tantum animarum preces exponens, oravit obnixè, ut bonâ ipsius veniâ liceret sibi hebdomade illa totâ, sacrificia pro mortuis perpetrare. Cessit Prior ejus precibus, & illius loco alium substituit. Quamobrem hebdomade illâ totâ fecit hic, quod erat rogatus, summa cum animi pietate. Quâ elapsâ eadem Peregrini anima, rursus spectandam se præbens, asseruit bonam illius multitudinis partem ejus sacrificiis, aliisque rebus liberam in Cælum feliciter secum evolasse.

35. Non dissimile est, quod R. P. Jacobo Ingolstadtii, Rhemè Societate Jesu, non rarò accidit: & in Brasilia. sæpè enim sæpius itabant ad ipsum animæ, dormientem excitabant, ejus se precibus, ac sacrificiis commendabant; & plures testati sunt audivisse se voces è cœmiterio

Collegio Societatis vicino, inelamantium animarum, & disertè, distinctèque opem R. Patris Rhemii implorantium. Hujus quoque generis est, quod de Josepho Anchietâ Thaumaturgo nostro commemorat Beretarius. Cùm enim secus stagnum iter cum socio faceret, ingentem ranarum coaxationem, unâque ejulatus ingentes audierunt, quasi hominum cruciatus ingentes tolerantium: usque adeo, ut Josephi comiti capillus inhorresceret. Hic verò Josephus sublatis in cælum oculis, *Æterne Deus, inquit, quàm magnâ tua potentia est!* Propiusque ad stagnum accedens, comitem ponere genua secum, & quinies orationem Dominicam, Angelicamque salutationem pro purgandis animis pronunciare jubet; quâ prece solutâ cessavit ejulatus, neque postmodum, quando sæpius frater illac pertransiit, auditus est.

Illustrius est quod subjicio ex Trithemio Chronici Anno 1098. Eo enim anno non procul Wormatia maxima vis armarum equitum pariter ac peditum interdiu, noctuque haud paucò tempore velut ad pugnam è monte procedere visa, & modò huc, modò illuc per turmas discurrere, tumque circa nonam noctis horam ad eundem, unde prodibat, montem reverti. Incessit monachum quemdam Lunxurgensis Cœnobii, non longè à monte distiti, cupido sciscitandi, quid sibi acies illa vellet. Ergo exluscitatâ fiduciâ, nonnullis aliis comitatus eam adit, signatusque frontem crucis formâ, interposito SS. Trinitatis nomine, de monte moventes, qui sint interrogat. Tum de turba quispiam, *Non sumus, ait, inania spectra, neque verò è mortalibus, sed militum quondam hoc in campo casorum in prælio anima. Arma, saga militaria, & equi, quibus quondam ad crimina abusi sumus, nunc vobis nostri argumenta sunt supplicii: quidquid enim gestamus, ignis est, tamen si vobis invisus.* His auditis Monachus quæsit, num qua ratio esset iis opitulandi. Cui anima, *Omnino, inquit, ieiuniis, precibus, & maxime incruento Corporis & Sanguinis Christi sacrificio adiuvari possumus & rogamus;* continuoque tota illa acies, velut una voce tertio inelamavit: *Orate pro nobis;* atque illico omnes tamquam in flammâ abiere, ipse verò mons, ardentis instar, non sine ingenti fragore ignes ejaculatus est.

Postremò extat in vitâ S. Theobaldi, mirus Purgatorii cujusdam animæ locus. Quondam oblata fuit viro sancto glacies in fluminis fundo à piscatoribus reperta.

Incessit illum cupido eam pedibus suis ægris refrigerandis subjiciendi; quod cum fecisset, ecce tibi è glacie vox lamentabilis in hæc verba: In hac, quam vides, glacie jaceo, purgorque miserabilis anima. Obtestor te, ut triginta Missas mihi addicas: ita diuturnum cruciatûs mei tempus non parum contrahes. Quod cum à viro sancto præstitum fuisset, glacies resoluta, & anima liberata est. Vide Petrum de Natalibus, & alios. In summa, intellige quævis loca hujusmodi expiationi vel addicta, vel addici posse, & sic audies ex dicendis, templa, puteos, domos denique eadem fuisse nonnumquam incendii purgantis, quæ criminum loca, pro Numinis arbitratu. Atque hæc satis: quæ quidem non ideo protuli, quòd inter cætera maxime, veram piorum manium præsentiam demonstrent, neque aliter possint exponi, sed quòd saltem eam probabiliter indicent. Ea enim visa sic discernere, ut præsentem animas velut tangas, haud scio, an quispiam præter Angelum, aut ejusmodi animam possit, nisi forte disertissime negetur representatio, & præsentia ab illis affirmetur, aut certe simul cum anima Angelus adesse dicatur. Cujus rei causam prius attingi, quòd nulla ferè sint visa, in quibus boni Genii animarum personam agere, & ipsarum nomine loqui non possint: Et verò ad omne auxilii genus clientibus suis, aliisque manibus præstandum sunt promptissimi: Tu Lector, qui tot locis animas aduri intelligis, nonne loca, ubi peccare solitus es, horrere meritò debes: Quippe forsan supplicis tuis destinata? & qui tot quoque locis opem ab animis, vel earum nomine efflagitari cognoscis, nonne simul agnoscis flammam expiatrix ingentes esse, quippe quibus extinguendis, aut mitigandis aqua uadequaque petitur.

ARTICULUS III.

De atrio cæli.

§. I.

Statuitur.

38. **C**OELI atrium appello locum, in quo purgandis animis sola damni pœna, seu felicitatis æternæ mora sustinenda est. Ratio nomenclationis post indicabitur. Quæro autem primò, an contingat aliquando, ut post vitam innocenter actam sola pœna damni luenda sit, aut etiam omnibus sensus pœnis persolutis retardetur

Qui negent pœnâ damni aliquando solam superesse.

tamen animus, & cælo adhuc arceatur. Inter paucos, quos super hac materia disputantes comperi, Luifius noster Turrianus aientem sententiam severissimâ censurâ ferit. Sic enim ipse in selectis Centuria 2. Censura 72. quærit: *An mereatur censuram placitum assentium in Purgatorio detineri aliquando animam cum sola pœna damni absque ulla sensûs. Legantur Bellarminus, & alii agentes de Purgatorio, & proposita est digna gravi censurâ, non solum temeritatis, sed erroris, iudicio multorum, quia est contra communem sensum fidelium.* Ita ipse: qui censores illos non nominat, ac propterea sibi soli, sanè censura aliàs, teste Diana, largissimo, censuram hanc adscribi patietur. Mitius, ut solet Suarius: *Mibi, inquit, non adeo probatur sententia eorum, qui asserunt animas puniri in quodam loco, ubi ignis acrius, & ardentius urit, deinde transire ad alium, ubi mitius puniuntur; postea ad alium amœnum, ubi detinentur sine pœnâ sensûs.* & post pauca: *Finita enim, ait, pœnâ sensûs, purgatio finita est: & anima est apta & expedita ad videndum Deum: quapropter non amplius detinetur; quia, ut supra ostendi, numquam pœna damni æterna, vel temporalis, propter peccata actualia separatur à pœna sensûs, quia reatus manens non est maior, seu diuturnior respectu unius, quàm alterius, neque oppositum potest probabili ratione suaderi. Quapropter credibile non est animas è Purgatorio transire ad locum amœnum, priusquam in cælum ingrediantur.* Hactenus Suarius de Purgatorio Sect. 4. Cui juvante Deo conabimur satisfacere. Cæteri verò Theologi de hac materia ferè altum silent, ut Valentia, Vasquez, Coninck, Præpositus, Meratius, Lugo, Gaspar Hurtadus, &c.

Porrò probabilem censet sententiam aientem Bellarminus, de Purgatorio, c. 7. magnum & ipse nomen, & in hoc genere disputationis Suario æquiparandus, & authorem citat Gregorium Magnum, Venerabilem Bedam, ac Carthusianum. Accedit his è recentioribus Reverendus Pater Joannes de Dicastillo Theologus egregius appendice de Purgatorio Disp. 1. dub. 2. qui relatâ aliorum responsione ad revelationes infra proponendas: *Non tamen, inquit, ideò admodum repugnaverim sententiæ, quam revelationibus confirmant, quod anima solutis reliquis detineatur aliquando, & solâ morâ videndi Deum puniatur.* Sic ipse. Accenseri posset & Tannerus, qui propositâ Bellarmini sententiâ rem in medio relinquit. Sed disertè à nobis stat Joan. Eusebius Nierembergus lib. 2.

39. Qui affirmant.

Patrocinium Defunctorum. *Lib. I.* 13

lib. 2. de pulchr. Dei, cap. 3. ipse Madriti sacrorum Codicum interpres, & scriptis clarus. Et favent omnes, qui SS. Birgittæ, Gertrudis, Melchitidis visionibus, & oraculis suffragantur, qui & Theologi sunt, & ex his aliqui illustres, ut Turrecremata, & Confalvus Durantus, qui S. Birgittæ Revelationes notis illustrarunt. Deinde Dominicus Bannes, & Leander, qui divinas insinuationes Gertrudis approbarunt, saltem eatenus, ut erroris immunes declarēt. Item, qui Blossii Lætienfis Abbatis scripta venerantur, plurimi: Hic enim Monilis Spiritualis, cap. 13. Eremitam quemdam, ipsumque Thaulerum solâ damni pœnâ aliquamdiu castigatum esse commemorat. Ex quibus omnibus sat liquet, quàm non timenda sit Luisii Turriani censura superius allata: cum illius causa corruat, nempe sententiam de pœnâ damni solâ, Christianorum sensui adversari. Neque enim fideles modò plurimos, sed & divos, & Theologos insignes, & ex omni ordine viros præclaros sententiæ illius fautores producere licet.

40. *Ratio asserendi Theologica.* Neque verò autoritate solâ nititur, sed & ratione Theologicâ. Nulla siquidem inveniri potest necessitas nexûs inter pœnas illas sensûs, & damni, quem nexum Suarez asserit. Imò & mortalibus solemne est pœnas illas separare (ut cum David Absalonem filium patricidii rerum conspectu alloquîque suo tantisper arcuit, nullo præterea irrogato supplicio) & Deo non insolitum, ut cum Moysen, & Aarone ingressu, possessioneque terræ promissionis prohibuit, nullâ insuper pœnâ culpæ incredulitatis adjectâ. Quidni igitur in alterâ vitâ sic agere censeatur? Maximè cum tam levis in morte possit superesse culpa, ut solâ pœnâ damni, seu prohibitione conspectus divini expiari queat. Qualis levissima mentis evagatio vix deliberata, vel minimus error: præfertim, si moriens, saltem ex parte pro iis fecerit satis intimo dolore, aut Dei amore, vixque reliquum sit quidquam maculæ, quod egeat expiatione. Ut enim inter mortales nonnullæ tam leves sunt filiorum noxæ, ut crudele esset verberibus eas castigare: ita possunt esse tam leves mortuorum, ut igne illas plecti, divinæ bonitati dissentaneum videatur. De quo iterum postea n. 332. Neque his obstat, quod pœna damni gravior, quàm pœna sensûs censeatur: imo id nobis favet. Cum enim pœna damni cuilibet culpæ, etsi minimæ, debeatur, *ne quid coinquinatum intret in regnum cælorum*; & verò hæc ipsa tam acerba sit, conficitur posse in moriente tam

exiguam reperiri noxam, quæ solâ damni pœnâ abundè purgetur.

Quod verò attinet ad reliquos impuriore vitâ defunctos, dici potest à principio decerni utramque sensûs & damni pœnam, sed impari tempore subeundam: ita ut pœna damni alteram morâ excedat. Et firmari potest hæc propositio, quod auctore Angelico Doctore in 4. dist. 21. q. 1. art. 3. *Acerbitas pœnæ (verba sunt illius) propriè respondet quantitati culpæ, sed diuturnitas respondet radicationi culpæ in subiecto, unde potest contingere, ut aliquis diutius moretur, qui minus affligitur, & è converso. Item quædam venialia, inquit, sunt maioris adhærentiæ, & quia ea quæ sunt maioris adhærentiæ tardius purgantur, ideo quidam in Purgatorio diutius, quàm alii torquentur.* Ita sanctus Doctor: Fac igitur quempiam levissimæ noxæ diu multumque addictum fuisse: illa certè noxa minimo supplicio digna est: & tamen gravissimo multaretur, si minimum illud ab igne supplicium diu duraret: quippe quia pœna binis dumtaxat gradibus intensa, atque adeo exigua, si quatuor diebus toleretur, æquivalet intensæ ad octo usque gradus, adeoque summæ. Præstat igitur diuturnitatem illam supplicii, quam minima ad culpam adhærentia auctore D. Thoma mereretur, subinde soli damni pœnæ assignare.

Accedit, quod probabile sit pœnam sensûs paulatim minui, sive quòd visio S. Malachiæ à D. Bernardo descripta, aliæque frequentes id ostendunt; sive quòd, ut probabile admittatur à Suario, tristitiam ex privatione beatitudinis ortam eatenus remitti, quatenus ad terminum acceditur, unde pro remissione pœnæ sensûs argumentum duci potest, sive quòd ea videtur esse mens Augustini Enchiridii 110. docentis Ecclesiæ preces defunctis prodesse, *vel ut sit plena remissio, vel certè, ut tolerabilior fiat ipsa*, ut loquitur, *damnatio*: quem locum sic exponit Estius in 4. dist. 22. §. 6. ut pœnarum mitigatione id fieri intelligat, non modò temporis contractione: sive denique quòd ea tota res ab arbitrio Judicis pendeat, & ad ejusdem bonitatem pertinere videatur, non tantum de diuturnitate, sed etiam de gravitate pœnarum aliquid remittere, dum à vivis rogatur. Eâ porro remissione positâ, continuo sequitur sæpissimè omnino remissum esse dolorem sensûs, ac nullum, quando pœna damni necdum persoluta est: ubi nimirum levissima quidem noxa est, ac vehemens, ac diuturna in eam propensio, cui pœnæ diuturnitas respondet, ut ex Angelico

Doctore statim probabamus. Conficitur deinde, si non semper, certè ut plurimum pœnam damni morâ superare dolorem sensûs, quoniam unusquisque pro indole suâ, ac vitæ conditione certis quibusdam ac levibus noxis, & obnoxius est, & additus: neque ferè priùs vitâ affectum ad illas exiit. Atque ex his denique abundè patet, contra Suarium, probabili saltem ratione asseri, pœnas damni ac sensûs, saltem identidem separari: atque ad eò id fieri in atrio cœli.

43.
Ejusdem
ratio mo-
ralis ex
visionibus.

Porro quidquid alii sentiant, existimo non leve illi sententiæ momentum accedere ex visis ac revelationibus. Etsi enim singulæ errori obnoxie sint, tamen cum plures in idem consentiunt, si præsertim authores habeant vitæ integræ, ac probatæ, maximè ab Ecclesia, fidem procul dubio facere debent, tantam saltem, ut non nisi evidenti argumento possit labefactari. Nam si ejusmodi fidem mereatur unius viri probi ac prudentis narratio, potissimè si jurejurando confirmetur: certè Sancti, vel Sanctæ affirmatio jurejurando par esse videtur. Quid complurium diversis locis, ac temporibus consentiens commemoratio, maximè si nullo viso, aut ostento contrarium insinuetur? Si objicias sexus muliebris infirmitatem, memineris eam nihil obstidisse, quin Deus in veteri etiam Testamento prophetides elegerit, & fidem eis esse habendam, incredula alioqui Judæorum gens censuerit. Deinde Majestatem divinam sceminarum simplicitate magis, quàm virorum judicii firmitate deletari, ut potius illis, quàm his secreta sua communicet. Præterea sanctitatem earum non finire, ut Deus eashoc in genere errore labi facile patiatur.

44.
Visio S. Bir-
gitta de
atrio cœli.

Atqui refert Birgitta, princeps scemina, nec sapientiæ minus, quàm sanctimonie famâ inclita l. 4. c. 7. locum sibi ab Angelo demonstratum, in quo, ut ait ille, nulla alia pœna est, nisi desiderium perveniendi ad Deum. Et post pauca: in hoc, ait Angelus, loco morantur multi, & nimis diu, præter eos qui in mundo, dum vixerunt, non perfectum desiderium habuerunt perveniendi ad Dei præsentiam, & eius visionem. Et paulò post: Pauci sunt, inquit, qui non veniunt in locum, ubi est desiderium perveniendi ad Deum. Hactenus ipse.

45.
Idem reve-
latur S. Ida.

Est etiam memorabile, quod in actis B. Idæ, seu Ithæ, commemoratur. Cum ejus avunculus vitâ migrasset, illius filios cognatos suos sic allocuta est: *Heu! quædam diris modis excrucietur Pater vester! novi ego, novi divinitus. Itaque eius, quæso, causâ carnem, ac panes, butirumque in*

stipem egentibus per integrum annum erogate. Quod cum præstitissent, ex eâ intellexere, Patrem suum beneficentiâ suâ, & Divæ precibus dimidiatâ pœnarum parte liberatum. Tum ipsa: *Idem, ait, liberalitatis genus ejusdem Patris vestri gratiâ, pari spatio exercete; neque verò neglexerunt.* Itaque evoluto anno renunciavit illis eorum Patrem tormentis exemptum esse: verùm addidit veste egere, quam obrem vestes pauperibus elargirentur, idque pariter per anni curriculum: quo etiam peracto, tum denique, *Nunc, ait, Pater vester requiete sempiternâ potitur.* Vestis porro illa, quâ is egebat, ut rectè Bollandus in notis ad illius vitam, vestis gloriæ est, cujus solius privationem tunc quidem tolerabat.

Sed rem hanc clariùs demonstrant, quæ subjungo. Refert noster Lancitius opusculo de fugâ venialium, cap. II. visam à Beata Magdalena Pazia, ejusdem cœnobii Sanctimoniam, Columbam nomine, extra Purgatorium, orcum, ac cœlum, ubi visione Dei carebat. Causa erat, quòd cum dono præsentie Dei, ut loquitur ipse, prædita esset, eam tamen subinde negligeret ob mœstitiam, quàm volens percipiebat ex alterius tristitiâ ejus causâ susceptâ.

46.
Visio Beata
Magdalena
Pazia de
sola damni
pœnâ.

Et teste Cæsario l. 2. c. 37. Cisterciensis quidam monachus, Guilielmus nomine, vir religiosi exempli, amico se spectabilem exhibens, asseruit, solâ se visionis Beatificæ rei expectatione torqueri: tum exclamans: *O! quantum, ait, lucis mihi brevi accedes ex præsentia Dei mei! I, supplex ora præsedem, subiectis fratribus, ut indicat preces, causa mea fundendas: & ipse orationem ad S. Michaëlem adiungat.* Cùmque ex Præsulis mandato monachi septidui spatio Psalmum recitassent: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus;* qui Psalmus affectus piorum manium ad Deum anhelantium egregiè exprimit, Cœnobii Priori sub Virginis pallâ splendidius apparuit, & suo illi amico, se jam illius beneficio, Deo perfrui confirmavit.

47.
Visio mona-
chi ejusdem
rei.

Porro his affine est, quod de S. Vitalina memorat Gregorius Turonensis: consimilia refert Franciscus Torreblanca l. I. de jure Spirit. cap. 2. & ante illum Gregorius Magnus, ac Venerabilis Beda: itemque Chartusianus, qui utrumque laudat lib. de Judicio particulari, cap. 31. Gertrudis quoque, ac Melchthildis hujusmodi visâ commemorant, quæ longum, & supervacuum sit recensere.

48.
Ejusdem
rei revela-
tiones alie.

Respon-

*Respondetur argumentis aduersa
partis.*

49.
Solvuntur
obiecta.

DICET aliquis primùm : Apostolus Paulus , & post eum Sancti Patres , quando de Purgatorio agunt , etiam iustos igne plecti perhibent . Cur igitur nos aliquos purgandos igne eximimus ? At respondetur argumentum illud esse , ut aiunt , negativum , atque adeo nihil urgere . Neque verò negamus solemne Purgatorii supplicium esse ignem , quod illi dumtaxat volunt , sed asserimus subinde tam parum superesse expiandum , ut sola damni pœna sufficiat .

Dicet deinde : quâvis culpâ duplex malitia continetur , prior aversionis à Deo , posterior conversionis ad res conditas : ut igitur aversioni semper respondet pœna damni , quare conversioni non semper respondet pœna sensûs ? Respondeo quia nihil est necesse : potest enim utraque hæc malitia , vel sola pœna sensus castigari , ut patet in suppliciis hac in vitâ divinitus influctis , vel solâ pœnâ damni , ut in Moyse terrâ promissionis excluso , ut priùs diximus .

Dicet præterea : pœna damni , cum privatio sit ac proinde nihil , consistit , ut loquuntur scholæ , in indivisibili ; non est igitur , cur in diversis dispare pœnas creare possit . At distinguitur sequela : nam si sola spectetur privatio , conceditur : sin autem vel cum majori ad beatitudinem iuce , vel cum turpiore privationis causâ , vel cum aliâ ejusmodi ratione consideretur , satis exploratum est posse illam diversos parere mœtores , ut patet in humanis , ubi privatio regni varios variè cruciare solita est , & verò necesse est in damnatis hanc varietatem cruciatuum admittere , ne Antichristum , Luciferumve pari damni pœnâ , cum reo unius noxæ lethiferæ torqueri dicamus .

§. 2.

Vbi sit cœli atrium.

50.
Vbinam sit
locus pœnæ
solius dam-
ni.

HOc igitur , quod primò mihi proposueram , constituto , tempus esse aliquod , quo animæ solâ damni pœnâ crucientur ; proximum est , ut locum ejus supplicii inquiramus . Ubi statim occurrit , quemcumque illum assignemus , ad Purgatorium pertinere , ut quaternarius locorum , quem animis corpore solutis Theologi tribuunt , retineatur . Deinde non videtur ille sub terræ viscera abditus esse : quoniam ejusmodi situs tenebris oblitus , & averno vicinus , pars pœnæ sensûs

est , cujus tamen immunes animas statui-
mus . Neque verò tellus ut plurimum
apta illis sedes est , tum quia jam nihil
commercii habent cum terrâ , nihilque
terreni , tum quia hæc proprium viatorum
domicilium est .

Quis igitur locus ? An Paradisus terre-
stris ? Ita quidem censet Carthusianus de
Judicio particulari , c. 31. sed minime au-
diendus . Primùm quia jam ille non extat ,
quippe cum reliquâ terrâ , ejusque altissi-
mis montibus diluvii aquis per integrum
annum eam occupantibus , obrutus , viola-
tus ac dissipatus . Quod vel inde patet ,
quod terra tota , præsertim circa Mesopo-
tamiam , & Armeniam prorsus comperta
sit , & habitata . Atque ita sentiunt Olea-
ster , Eugubinus , Catharinus , Pererius ,
Jansenius , Suarius , Bonfrerius , aliique .
Nec refert quod Ecclesiasticus cap. 44.
dicat Enoch translatum esse in Paradisum ;
tum quia ea vox *Paradisi* Græcè non ha-
betur ; tum quia quemlibet locum amœ-
num significat , ubicumque situs sit . Sed
fac extare Paradisum terrestrem , quod
plerique Patrum autumant , certè ille in-
nocentiæ locus est , & voluptatis . At ani-
mæ illæ , & reæ sunt , & beatitudinis mora
mœstissimæ . Ille , sedes est Enochi , &
Eliæ , fœlicitate naturali , imò , & divinis
solatiis , authore Suario , fruendum . Quo-
modo ergo carcer expiatorius animarum ?
Præterea sensibilis illa ejus amœnitas , ab
arboribus , fluviiis , floribus , & id genus re-
bus sensum delectantibus , profecta , quæ
Carthusianum ad eam sententiam pellexit ,
ut amœnitatem loci illius expiatorii variis
ostentis significatam in Paradiso quæreret ,
animas corpore liberat , atque ipsa cogni-
tione naturæ rerum pasci solitas , parum
profectò afficit , vel etiam admodum nihil .
Quare meo quidem iudicio alius illis in-
veniendus est locus , alia custodia .

Ubinam itaque illâ ? An fortè in aëris
aliqua regione ? erit qui autumet , nempe
ad faciliorem in terras descensum subsidio
mortalium flagitando . Nam firmamen-
tum quidem , quod à terra octuaginta mil-
lionibus leucarum distat , aut locus aliquis
illi vicinus , videri potest animarum ope
nostrâ continenter egentium minus com-
modum domicilium . Sed tamen cum
eorum pernecitas summa sit , & status à
beatifico proximè ablit , & D. Melchitidis
in visione inferiùs , num. 142. memoranda
locum illis cœlo vicinum assignet , nihil
rationi dissentaneum dixerit , qui earum-
dem domicilium vel in firmamento , vel
etiam proximè Empyreum collocarit :
cum locus respondere debeat dignitati .

Potro

51.
Non est
Paradisus
terrestris.

52.
Vbi sit or-
dinaris
locus.

53. *Cur vocetur Caeli atrium.* Porro locum illum nonnulli, rectè cœli atrium nominant; sive quòd quemadmodum atrium domui ac palatio proximè contiguum est, ita locus ille cœlo; sive quòd ob altitudinem, cœlestis atrii similitudinem habeat, præsertim cum velut ex atrio in palatium, sic ex eo detur aditus in cœlum Empyreum, ac regiam Beatorum.

54. *Cur velut pratum ostendatur.* At, inquis, cur in plerisque ostentis, ubi de eo agitur, velut amœnissimum pratum, hortusve elegantissimus juxta ac florentissimus describitur, si in aère, aliòve superiore loco situs est? Respondeo, ad denotandum animarum in ea degentium statum. Utiq; animæ illæ dotibus naturæ pariter ac gratiæ florent, quæ quidem jam exerunt sese, tum quia extra inferas tenebras, ignemq; vindicem: tum quia nihil nisi cœli desiderium patiuntur, quod earum splendorem non supprimit. Quæ etiam causa est, cur fulgidæ appareant. Adde spem proximæ beatitudinis vernante horto optimè expressam, & amœnitate pratorum ridenti bellè adumbratam videri.

55. *Ubi extraordinarius ejus locus.* Cæterùm ut Purgatorium pœnæ sensûs duo fortitur loca, ordinarium scilicet, & extraordinarium; ita & Purgatorium pœnæ solius damni. Ordinarius ille est, de quo proximè egimus. Extraordinarius, quemcumque spiritibus Deus extra ordinem assignat. Sanè extat apud Petrum Damiani, lib. 3. epist. 10. Historia cujusdam mulieris, cui Mauroza nomen, quæ sacro Assumptæ Virginis die Romæ in hujus æde Capitolinâ visendam alteri se obtulit, dixitq; se cum aliis ope Mariana Australibus tormentis istâmet luce liberatam, passim loca illius honori dicata perlustrare, ut gratias pro tantâ gratiâ perageret. In cujus rei fidem prædixit fore, ut ea, cui se spectabilem præbebat, eâdem post annum lapsam die, vivis excederet, quod, & contigit; cum hæc corporis maceratione, & reliquâ salutis procuratione ad mortem se comparasset. Quare credibile est alias quoque animas identidem in terris agere, seu ex atrio cœli egressas Numinis permisso, ac voluntate, seu ad certum aliquem, præsertim ubi peccavere, locum, propriè destinatas.

56. *Fausstumne, an infaustum Cœli atrium.* O cœli atrium, ubicumque sis, mentem nostram variâ cogitatione velut discindis. Quale enim te dicam? Fausstumne, an infaustum? Nam faustum quidem indicat certa spes proximæ beatitatis. Quo nomine huc allici potest Regius Pfaltes, dum sic canit: *Melior est dies una in atris tuis super millia.* Ut enim atrium templi Jerosolymitani nomine, ita re ipsa atrium tem-

pli cœlestis referebat. Infaustum autem convincunt ea, quæ deinceps à nobis explicabitur beatificæ visionis mora, quæ utcumque brevis sit, semper tamen nimis est diuturna: de quâ idem Vates: *Heu mihi!* exclamat, *quia incolarum meus prolongatus est.* Jure itaque te faustum dicam, & infaustum: meritò aspirabo ad te, velut ad portum quemdam ex hoc vitæ mortalis oceano naufragis infami: nec immeritò te metuam, quippè animis jam solutis, & ad iter cœlestis expeditis molestissimum. Interea verè beatos prædicabo illos qui statim à morte, recto ac celeri volatu super atrium evecti, in cœlestis palatium se è vestigio inferunt.

ARTICULUS IV.

De Purgatorio S. Patricii.

DE illo dicere operæ pretium duxi, tum ne rudi populo imponatur inanium rerum narratiunculis de Purgatorio, unde illius fides detrimentum pati possit, tum ne hæreticis ansa detur eam calumniis, ut sit, impetendi. Ut igitur ordine procedam, de eo Purgatorio dicam primo, quid circumferatur; tum quid videatur sentiendum.

Carthusianus itaque sic de illo scribit de quatuor novissimis, c. 48. Cum S. Patricius, prædicaret Hibernis, nec eos per miracula, neque per comminationem futurarum pœnarum, nec per promissa cœlestium gaudiorum posset convertere, dicentibus ipsis Hibernis se numquam credituros, nisi aliquis eorum ipsa tormenta impiorum, & gaudia electorum conspiceret. Tunc Dominus meritis & precibus Beati Patricii monstravit eum locum, fossam, seu puteum, per quem intraretur in Purgatorium quoddam, in quod aliqui intraverunt, nec redierunt: aliqui verò ingressi, fuerunt regressi, qui scilicet constantes manserunt in fide in omni quæ eis evenit tentatione ac pœnâ. Ita Carthusianus.

Et paulò post pœnam exponit: Postmodum, ait, miles nomine Egneus (Oeneum appellat Henricus Salterienfis) Purgatorium illud ingressus primò à dæmonibus in ignem validissimum est projectus, sed nomine JESU invocato protinus est ereptus. Deinde à dæmonibus tractus fuit ad campum latissimum, omni dolore atque miseriis plenum, in quo erant innumerabiles homines utriusque sexus, ac diversæ ætatis, nudi, ac in terram prostrati, ventre humo adhærente, qui omnes

57. *Ostenditur à S. Patricio*

omnes clavis ferreis & ignitis in terram
 transfixi extendebantur, inter quos, & su-
 per quos dæmones percurrebant, & flagris
 acerrimis miseris lacerabant. Cùmque
 supplicia illi militi tentarent inferre, ille
 Christo invocato evasit. Quem conse-
 quenter traxerunt ad alium campum ma-
 jorem, miseria plenum, in quo, sicut &
 in præcedenti campo, innumerabiles erant
 resupini jacentes, super quos se debant dæ-
 mones igniti, qui miseris comedere vide-
 bantur ac lacerare: aliorum colla, vel bra-
 chia, totâve corpora serpentes circumcìn-
 gebant, & capita sua miserorum pectoribus
 imprimentes, ignitum oris sui aculeum ip-
 sorum cordibus infigebant. Bufones quo-
 que miræ magnitudinis ignei super quo-
 rumdam pectora residebant, suâque rostra
 deformia infigentes, corda illorum extra-
 here nitebantur, quos etiam dæmones fla-
 gris durissimis affligebant. Hæc Carthu-
 sianus. Longum esset, ac superfluum cæ-
 tera ejusmodi, quæ persequitur, enarrare:
 ut alios clavis omni ex parte confixos; alios
 catenis igneis suspensos, alios in fornaci-
 bus sulphureis concrematos, alios lique-
 factis metallis potatos; tum horribilem
 domum transeundam, exinde pontem
 arctissimum. Quæ Carthusianus ex Sal-
 teriensis ferè ad verbum deprompsit.

58.
 Paradisus
 terrestris.

Pergit porrò Salteriensis referre mili-
 tem Oeneum, superatis ope divinâ funestis
 hisce locis ad Paradisum quemdam per-
 venisse, cujus porta illi sponte referata sit,
 de quo Paradiso hæc memorat. Primùm,
 portam ipsam luce suâ Solis splendorem
 vincere, tum ipsi occurrisse supplicantium
 cum vexillis ac cereis, & velut aureis pal-
 marum ramis, vim hominum ingentem,
 ætatis ac dignitatis, sexûsve omne genus.
 Exinde in Paradisum introducto tantum
 ejus fulgorem visum esse, ut quemadmò-
 dum lucernam ardentem Sol meridianus,
 ita Solem meridianum hæc lux Paradisi
 obscurare posset. Ejus autem amœnita-
 tem similem esse vernantium pratorum,
 hortorumque pulcherrimorum amœnitati.
 Odorem verò talem, ut eo solo semper se
 vivere posse arbitraretur. Magnitudinem
 porrò eo se protendere, ut ejus terminum
 assequi oculis nequiret. In eodem degere
 innumeros, variis regionibus, ac sedibus,
 variis item vestibis, omnésque dulcissima
 harmonia laudes Numinis concinere, at-
 que agere quietos, citra omnem frigoris,
 aut æstus aut aliis rei incommoditatem.
 Deinde allocutionem narrat Pontificum
 quorundam, qui hæc militi. Paradisum
 istum non alium esse, quàm Terrestrum,
 ex quo Adamum inobediëntia expulit, &

simul cum posteris mortis æternæ reum fe-
 cit. Ejus, ac posterorum commiseratione
 carne indutum esse Deum; Inde baptis-
 mum originis labi potissimum eluendæ,
 tum penitentiam cæteris noxis expurgan-
 dis ab eo esse constitutam; recta item ope-
 rá: & si quid à morte fordium restaret,
 lustrales flammæ. Harum porrò tempus
 animis incognitum, quemadmodum, &
 spatium moræ in Paradiso terrestris. Cæte-
 rum quotidie se cibo cœlesti semel pasci,
 cum Cœlites assidue eo pascantur. Quem
 & militi infusum esse commemorat, flam-
 mâ quadam æthereâ in eum penitus illapsâ.
 Hæc de Purgatorio S. Patricii, quæ brevi-
 ter retexo ac recognosco.

Principio observandum est Jocelinum,
 qui res & acta S. Patricii perscripsit, de isto ^{59.} *Refutatur*
 Purgatorio prorsus silere. Deinde, qui *generatim.*
 locus nunc Purgatorium S. Patricii dicitur,
 nullum hujusmodi supplicium ostendere.
 Et antrum quidem, seu domunculam la-
 pideam, lateribus esse angustis, ac fornice
 depressa, in qua homo procerus ne sedere
 quidem, nisi submisso capite possit; sed la-
 pideo pavimento intratam, nec ullibi vo-
 raginem apparere. Et sanè credibile est,
 ut fama crescit cundo, falsaque veris con-
 fundere amat, non aliud umquam, quàm
 hoc hodiernum; quod, ut aiunt, hodieque
 à peregrinis frequentatur, S. Patricii Pur-
 gatorium fuisse, nec alium puteum, aut
 antrum. Nam dicere Pontificem aliquem
 illud inferiùs claudi jussisse, ne vorago, &
 loca ignea apparerent, nec illius Pontificis
 nomen, aut facti tempus, ullumve aliud
 adjunctum assignare, futile est, atque ut
 temerè asseritur, ita sapienter, ac rectè
 negatur. Præterea vel Purgatorium illud,
 est ordinarium, vel extraordinarium; non
 priùs, ut patet, sive quòd ordinarium mor-
 tuis, hoc vivis destinatum sit, sive quòd
 plus mille leucis descendendum fuisset illi
 militi, & plus mille, ut ad auras, & in Pa-
 radisum terrestrum evaderet, ascenden-
 dum, unaque penetranda telluris spissitu-
 do; quæ omnia citra miraculum multiplex
 fieri nequeunt. Omitto in Purgatorio
 ordinatio nec uncus, nec clavos, nec do-
 mos, nec pontes esse, quæ omnia ille vi-
 disse fertur. Neque verò illud S. Patricii
 Purgatorium extraordinarium defunctorum
 dicas, quia vivus ille, aliique S. Patricii
 tempore, vel postea, vita, & corpore con-
 stantes, eò ingressi dicuntur, nempe ut
 purgarent noxas, quod disertè Salteriensis
 de milite affirmat. Neque dixeris esse
 vivorum, quia in eo mortui cruciantur,
 indèque evadunt ad Paradisum terrestrum.
 Denique utcumque voces, quomodo miles
 C ille

ille in ignem à dæmonibus coniectus, emerfit vivus, & illæsus?

60.
*Resuratur
sigillatim.*

Jam exploratum est animas corpore solutas nec clavis affigi, nec unciis suspendi posse, atque omnia hæc cruciatuum genera, metaphoricè accipienda, nec revera extitisse, sed repræsentata esse. Id quod de tota historia hac peræquè affirmari potest, imo de plerisque illius partibus debet. Enimverò gloriam ipsam cælestem intueri, quod petebant barbari, & increduli, nullo modo potuère, sed solam ejus similitudinem: deinde non splendidior est nunc, opinor, Paradisus terrestris, si quidem uspiam est, quàm olim cum ab Adamo & Evâ habitaretur: quis verò unquam audiit, vel portam ejus Sole splendidiorem, vel ipsum intus adedò micantem, ut præ illo Sol iste obscurus videatur? Quis non intelligit perstringendos fuisse utriusque oculos, omniumque istic futurorum, si innocentia staret permanisset, tanto Paradisi fulgore? Præterea quæ de amoenitate illius perhibentur, prius exposita sunt. Magnitudinem verò tantam, ut oculis comprehendi nequiret, ecquis in animum suum inducat? Cum & Paradisus terrestris, Paradisus, seu hortus, non regio ampla fuerit, & firmamentum ipsum

à tellure adedò diffitum oculis attingamus, & medium capiamus. Quid dicam de versicoloribus vestibus? devocum harmoniâ? de cibo cælesti, quo animæ illius incolæ quot diebus se pasci dicunt: cum nisi symbolicè hæc accipias ac metaphoricè, Theologicis è scholis explodendus sis? Nam nec ulli animæ vestes ac voces consonæ, nec adhuc purgandæ cælestis cibus, id est, visio beatifica ullatenus conveniunt, neque possunt convenire.

Constat itaque ea, quæ de Purgatorio S. Patricii circumferuntur, metaphoricè intelligenda esse; deceptum igitur fuisse militem illum, qui corporeis oculis se illa spectasse asseruit: cum eorum sola species potuerit repræsentari. Neque id mirum, cum Paulus ipse ignoraret raptusne fuerit in tertium cælum solâ mente, an etiam corpore. Nisi forè spectasse malimus, non quòd ita ut repræsentabantur revera essent, sed quòd eorum imagines, atque, ut Græci vocant, idola, illius oculis fuerint objecta, quâ ratione nonnulli Philosophi docent etiamnum Antichristum conspici posse. Quibus adde D. Liduinam ejusmodi tormentis, mente quondam, & quidem cum sensu doloris acerbissimi, interfuisse.

CAPUT TERTIUM.

Infelicitas piorum manium ex captivitate.

PROOEMIUM.



UONIAM omnis hîc noster labor ad solatium, auxiliumque piorum manium refertur, & jam de Purgatorii loco abundè disputavimus, eruenda sunt ex eo deinceps, quæ simul earum miseriam demonstrant, simul excitent in nobis miserationem. Cum igitur ad eum locum captivitas pertineat, tum conditio ejusdem ac situs, de his duobus hîc agemus: Si modo Lectorem præmoneamus, ut meminerit hæc in pœnam defunctis contingere, idque illis probè cognitum esse.

ARTICULUS I.

*Expenditur, quàm infelix sit ipsa
captivitas purgandarum
animarum.*

SERVITUS (inquit Jurisconsultus ff. de verb. & rerum signif.) ex iis esse videtur, quæ contra naturam sunt. Idemque sancit Imperator, & meritò: quoniam libertas generi humano adnata, & naturæ rationis compoti, est perquam consentanea. Quare Deus liberrimus, Angeli liberi, & homo de sententiâ Ambrosii, communiq; Patrum Græcorum juxta ac Latinorum, propterea maximè imago est

61.

*Servitus
est misera
per sese.*